

18

5679

1702, 13

15

P 538

DE
ERUDITIONE
ACADEMICA

*in quantum est Logicæ
considerationis*

Disputatio prior

IN INCLYTA SALANA

PRÆSIDE

JOH. JAC. LUNGERSHAUSEN

P. P. & D.

ET RESPONDENTE

MATTH. NIC. BRAUN

Philos. Candid.

publice ventilata

d. Apr. Anno 1702.



J E N Æ,
Typis JOH. ADOLPHI MÜLLERI.

3

VIRIS

Magnifico, Summe Reverendo atque Excellentissimo

DN. JOHANNI SCHLEMMIO

Theologo Celebrissimo,
Serenissimorum Sax. Vinarief. & Sax. Inacenf. Ducum Consiliario
Ecclesiastico & Concionatori Aulico Meritissimo, Superintendenti
Dornburg. & Bürgel. Vigilantissimo &c.

Patrono suo aeternum Colendo,

ut &

Plurimum Reverendo

**DN. JOHANNI SEBASTIANO
BRAVNIO**

Hereditario in Ziegenhain & Topfflet, Pastori Hendschleb.
& Vehr. Fidelissimo,

Parenti suo pie Colendo,

item

Eximio ac Integerrimo

DN. NICOLAO BRAVNIO

*Susceptoris & Patrueli suo Benefico ac
plurimum Dilecto.*

D. D. D.

MATTHIAS NICOLAVS BRAVNIVS. Phil. Cand.

OS (3) SO.



L. N. J.

PRÆFATIO



D *eruditionem Academicam* studiosæ
juventuti instillandam non ita pri-
dem, moderante Supremi Numinis
provisu, vocatus, DEO ISTI
STATORI, ut & SEREN. ACAD.
HUIVS NVTRITORIBUS,
votivam initio statim suspen-
do tabulam. Juvat dehinc indo-
lem *eruditionis Academicæ* gemina

velitatione perquirere, antequam ipsum hoc clemen-
tissime demandatum munus, publicis prælectionibus,
post Pascha, bono cum Deo suscipiendis, aggrediar.
Velitatio quidem prior continet duas sectiones, quarum
altera post evolutionem nominis E. A. agit de eruditione in
genere; altera de eruditionis Academicæ natura, specie-
bus, usu & subjecto seu fine cui: Velitatio posterior
tradit E. A. objectum & media.

A 2

SECTIO

SECTIO I.

§. I.



Ruditio Academica (r) notat studia familiarum veteris, mediæ & novæ Academiæ. Fuit nimirum Academia locus nemorosus, mille passus Athenis distans, templis ac monumentis virorum illustrium abundans, nomen sortitus ab Academo Heroë, teste Laert. l. 3.

Atque heic Plato scholam instituit, magnaue discipulorum frequentia Philosophiam professus est. Vid. Franc. Jun. de Acad. C. I. Successu temporis hæc schola in tres maxime familias scissa dicitur; in veterem nimirum, cujus caput Plato; mediam, cujus Princeps Arcesilas & novam, cujus author Carneades. In vetere sentiebant dari solidam rerum scientiam: in media viguit dogma, quod nihil sciatur, nisi hoc unum, *quod nihil sciatur*: quo ipso hi doctores discernebantur à Scepticis, statuentibus nec hujus rei *quod nihil sciatur* dari certitudinem: In nova non diffitebantur inesse rebus veritatem, nullam tamen in homine credebant certitudinem.

§. II.

Hodie per Europam Academiæ vocantur scholæ celebriores, privilegiis Imperatorum aut Pontificum instructæ, in quibus omnium disciplinarum circulus juventuti exponitur, unde & à Majoribus *Universitates* dictæ sunt, à quibus differunt scholæ *triviales* à tribus viis vel methodis (licet aliis aliter placeat) ita appellatæ: ni-

mi-

§ (3) §

mirum artes liberales dividebantur in trivium & quadrivium; trivium continebat tres artes dicendi, Grammaticam, Dialecticam & Rhetoricam; quadrivium, reliquas quatuor. Scholæ igitur istæ triviales dictæ sunt, quod ibi tres tantum viæ addisci debeant, ut ut iis, præter noticiam Doctrinæ Christianæ, mathematicum & historiarum studia non inutiliter annectenda putemus; donec pueri his velut præpædeumatibus præparati ad studia Academica accingantur. Atque hæc sunt ista, quorum noticia innuitur (2.) nomine *eruditionis Academicæ*, quam significationem & nos in præsentia intendimus.

§. III.

Quandoquidem vero hæc eruditio multipliciter percenseri poterat, nos eam nunc Logice cumprimis lustrabimus, i. e. quatenus ejus indoles, requisita ac circumstantiæ ex Logicis patefcunt.

§. IV.

Ut de E. A. intimius constet, lubet præmittere genuinas eruditionis in genere notas. *Primo* igitur requiritur, ut sit cognitio intellectus, per orationem exponibilis. Dico (1) ut sit *cognitio*, eruditio quippe dicitur à ruditate ejecta per cognitionem. Quando enim homo generatur, animam rudem omnisque notitiæ expertem concipit, cui velut tabulæ nudæ (Platonici perperam comparant tabulæ rasæ) species sensibiles ac intelligibiles per organa sensoria, phantasiam & intellectum patientem inscribuntur, quarum specierum perceptio dicitur cognitio. Cum vero cognitio nuda sensualis, quæ etiam in bruta cadit, eruditionis nomine non

A 3

gau-



gaudeat, diximus (2) quod sit *cognitio intellectus*,
ubi tamen cognitio sensuum supponitur, omnis enim
cognitio incipit à sensibus. Dico (3) *per orationem*
expōnibilis. Sicut etenim scire tuum nihil est, nisi te
scire hoc sciat alter; ita hoc alter nisi per tuam oratio-
nem scriptam, aut ore prolatam scire non potest. Unde
examina eruditionis alienæ per modum quæstionem in-
stituuntur, quibus alter sermone externo respondet. Et
sane vix rem recte nosse creditur, quam non recte
valet proloqui.

§. V.

Secundo ad eruditionem in genere requiritur ut sit
cognitio intellectus, cum iudicio facta. Per iudicium
intelligimus notitiam rationis ejusdem, cui intellectus
cognitio innititur. Sciendum hic quod cognitio intel-
lectus sit triplex (1.) simplex terminorum apprehensio,
quæ dicitur prima mentis operatio, qua vocabula ac
terminos cognoscimus ut: Deus, immutabilis, homo &c.
(2.) compositio & divisio, quæ dicitur secunda mentis
operatio, qua propositiones formamus affirmando vel
negando, ut: Deus est immutabilis, homo non est im-
mutabilis. (3.) Discursus seu syllogismus, qui dicitur ter-
tia mentis operatio, qua unum ex altero colligimus, ut:
Deus est immutabilis E. Deus est æternus. Nos terti-
am hanc mentis operationem hoc loco requirimus, hæc
enim nunquam fit sine iudicio & priores duas includit.
Cæterum quod eruditio requirat iudicium, patet, quia,
alias à rudi ignorantia nihil differret; quicquid enim
non cognoscitur per rationem, aut id quod est instar ra-
tionis, ignorantia rudis recte dicitur. Dico notanter

ant

§. (7) 50

aut id quod est instar rationis, nam non omnium rerum datur ratio à rebus distincta, alias namque omnium rationum daretur ratio & sic progressus foret in infinitum. Datur igitur erudita rerum cognitio, quæ licet non fiat per novam ac aliunde notam rationem, fit tamen per evidentiam naturalem aut supernaturalem convictionem, quæ vero evidentia & convictio ex se ipsis cognoscuntur. Evidentia naturalis se offert in cognitione primorum principiorum v. g. *honestum est agendum, turpe est fugiendum*; maxime vero in notitia omnium primi principii: *Impossibile est idem simul esse & non esse*: item in notia sensuali v. g. *Te hac vigilantem agere & non dormientem*, cujus rei probationem inepte quærit Cartesius. Supernaturalis convictio deprehenditur in rebus divinitus revelatis v. g. in Scriptura sacra. *Deo revelata* cognitione, de qua Venerandi Theologi. Atque evidentia ista naturalis est instar rationis, quia per eam res cognoscitur, non tamen noscitur nova ratione, quia sic res per se patet: ita hæc convictio supernaturalis est instar rationis, quia per eam rem capessimus firmissime, non tamen nova ratione opus est ut noscatur, cum firmissimo sui sensu sese insinuet.

§. VI.

Dicendum adhuc quid per rationem h. l. intelligamus. Ratio nempe nobis sumitur laxè, pro quocunque motivo assentiendi, sive sit ratio à priori, sive qualiscunque probatio, qua quis testatur, se non nudæ sorti commississe affirmationem aut negationem rei cujusdam. Hoc vero motivum quemcunque nexum, cum affirmatione vel negatione habeat oportet; secus ex quovis quodvis colligi poterat; unde cognitio per rationem se mper



(8) 50
semper ad certam syllogismi formam redigi potest,
imo tantum est syllogismus materialiter spectatus; sicut
in §. 5. discursum ideo syllogismum diximus.

§. VII.

Quando autem ad eruditionem requiritur, ut sit
cognitio rei per rationem, non opus est ut cognitio il-
la sit semper veritati congrua; usus enim ita fert, ut et-
iam cognitio apparenter vera, speciosisque ratiociniis
concepta, erudita habeatur. Imo saepe numero falsitas
majori specie veritatis ac ipsissima veritas defenditur,
& ut est in proverbio, bona causa male agendo perdi-
tur, mala vero bene agendo servatur. Sic Salmasius
bonam causam pro Carolo Stuarto, adversus nationem
Anglicanam, minus erudite: Miltonius vero malam
causam pro populo Britannico, adversus Regem, magis e-
rudite defendit. Hugo Grotius scripto Libro adversus
Socinum bonam causam tuebatur, sed refutatus scripto
Crellii de satisfactione Christi (quod pro eximio erudi-
tionis Crelliani specimine habent) librum suum ac bo-
nam causam tam frigide deseruit, ut Crellio pro meli-
ori (si Diis placet) informatione gratias ageret. Omnes
sane hæretici, pessimam causam, multi tamen speciose,
& erudite sustinent. Nec de eo dubitamus quin alii ma-
gis, alii minus erudite doceant ac defendat. religionis
nostræ orthodoxæ fundamenta. Idem de omnium fa-
cultatum his illisve doctoribus iudicium esto. Si Proco-
pio tum *Pers.* tum in *Arc. Hist.* fides habenda, Triboni-
anus Juris peritissimus, sed lucri insimul cupidissimus,
eruditionem avaritiæ sumsit tegumentum, mutavitque
leges suo arbitrato, interdum & ita scripsit perplexas,
ut

OS (9) SO

ut sensum, quo vellet, trahere posset. Ipse Grötius exemplo esse potest in tractatu ingenioso de mari libero, ubi sententiam, quam tamen pro falsa habuisse videtur, in gratiam civium suorum tulit, hoc exemplo probans dictum quod L. 1. C. 3. §. 5. de J. B. & P. effert: *Meminerimus non omnia probare, quæ, à quamvis præclare famæ autoribus, dicuntur, sæpe enim temporis, sæpe affectibus inserviunt & aptant rō nēpō sūdun, quare danda est opera, uti in his rebus defecato utamur iudicio, nec quæ excusari magis quam laudari possunt, temere in exemplum rapiamus, in quo perniciose errari solt.*

§. VIII.

Sunt, qui ad omnem eruditionem requirunt, ut sit cognitio vera, sed dum distinguunt inter verè verum & probabiliter seu opinative verum, nobis non adeo contradicunt; nam qui falsum defensitat erudite, is vel sibi vel aliis notitiam, quæ veritatis præfert speciem, comparat.

§. IX.

Notandum interim, quod licet falsa cognitio opinio salutari queat valde erudita, nunquam tamen scientia proprie ac recte sic dicatur. Scientia enim est cognitio rei, aut falsa cognitio non est rei cognitio, sed persuasio de eo, quod res non est; quæ tamen persuasio cognitio adhuc, sed late, appellitari potest, quia importat præsentiam specierum intelligibilium, ex quacunque ratione promanantium.

§. X.

Tertium requisitum E. A. est ut intra certam disciplinæ sphæram ac methodum coerceri possit, cum alias
B opus



opus tumultuarium censeatur. Atque hinc in disciplinis objectum formale sistitur, ad quod velut mensuram exigi solet, quicquid huic vel illi disciplinae accensendum venit.

§. XI.

His ita deductis, apparet aliquam eruditionis descriptionem emergere, quod nempe sit *cognitio intellectus per orationem exponibilis, cum iudicio facta, quæ ad certam disciplinæ speciem referri queat*. Dixi aliqualem descriptionem, nam accurata eruditionis definitio non suppetit, quia est ex numero communium ad unum, quæ uni primario, alteri vero vel reliquis secundo competunt: unde statim ad inferiora descendendum est. in timiorem eruditionis indolem perquisituris.

§. XII.

Primo igitur, cæteris paribus, eruditio veræ cognitionis magis dicenda est eruditio, quam falsæ; illa enim scrutatur rem, hæc tantum umbram seu glaucoma rei. Dico, *cæteris paribus*, nam veritatem interdum minus erudite propugnari, magis erudite (i. e. eruditius) conquestis ratiociniis impugnari, antea dictum. Atque hæc *cætera paria* etiam in seqq. sunt subintelligenda.

§. XIII.

Secundo cognitio necessario vera magis digna est eruditionis titulo, quam vera quidem, non tamen necessaria; illa etenim certitudinem importat, hæc vero formidinem oppositi in animo cognoscentis relinquit. Sicut autem non tantum necessariorum, sed etiam contingentium datur necessaria cognitio: ita ex aduerso non modo contingentium sed & necessariorum datur cogni-

(n)

cognitio non necessaria , si scilicet contingentia non certo, aut necessariorum necessarius nexus , vel ob negligentiam vel ob imbecillitatem ingenii vel ob aliam rationem, non solide deprehendatur. Cæterum velut necessitas contingentium est tantum hypothetica i. e. posita hac hypothesi quod sint , non possunt non esse ; ita eorum quoque cognitio est necessaria necessitate hypothetica , i. e. posito , quod debeant cognosci ut sunt, non possunt non verè cognosci ; quia autem certo sunt , certo etiam cognoscantur oportet.

§. XIV.

Quantum vero concernit absolutam necessitatem rerum, earumque cognitionem, res istæ sunt vel necessariae necessitate essentiae tantum , vel necessitate essentiae & existentiae simul ; ubi harum cognitio est nobilior quam illarum , hæ enim sunt res divinæ, illæ quæcunque aliæ : v. g. *homo est docilis* est propositio necessaria , necessitate essentiae , & sensus est : qui fuit , est aut erit, potuit , potest aut poterit esse homo rectè & propriè sic dictus, is fuit , est , aut erit, potuit , potest , aut poterit esse docilis : non tamen hæc propositio est necessaria necessitate existentiae , quia fieri potest , ut homo plane non existat docilis , si nempe ex rerum natura tollatur , ubi nec docilis nec indocilis existit. Sed si dico : *Deus est æternus* , hæc propositio necessaria est necessitate essentiae & existentiae : necessitate existentiae quidem ; Deus enim non potest non existere , & sic nec potest non æternus esse : necessitate essentiae vero ; non enim datur Deus, ubi non datur æternitas. Habet hæc doctrina usum in morali philosophia ac Theologia ; nam sunt qui absolu-



173

¶ (12) ¶

te necessariam veritatem harum propositionum inficiantur : *adulterium est turpe : obsequium parentibus prestitum est honestum* , nixi hoc fundamine , quod DEVS uti omnia ita & hominem libere creaverit , intellectu quoque & voluntate libere instruxerit ; unde homo nequeat adulterari , aut parentibus obsequium detrectare , nisi à Deo libere creatus , animam rationalem ac naturam socialem Deo deberet . Hi sane confundunt absolutam necessitatem existentiae cum absoluta necessitate essentiae , ac male à defectu illius ad defectum hujus colligunt .

§. XV.

Tertio cognitio affirmativa potius dicenda est eruditio , quam negativa , illa enim cognoscit quid res sit , hæc quid non ? Interim res negative cognita non idcirco fit deterior re affirmative cognita . Observanda verba Ammonii in comm. ad Arist. Categg. quæ ratine reddita ita habent : *Imo vero dicimus definitiones , quæ negatione constant , rem subjectam magis ornare . Ita enim cum Deum significare volumus , non de eo affirmamus aliquid , sed ad negationem venimus , ut divinus asserit Plato : nam cum Timæum interrogasset Socrates : Quid est Deus ? Respondet ille , quid non sit scio , quid sit autem , nescio .* Est vero cognitio affirmativa , quæ enunciatione affirmativa , nec negativæ æquipollente , maxime effertur : negativa autem cognitio dicitur , quæ negativa propositione aut affirmativa , negativæ tamen æquipollente , exprimitur . Dico negativæ æquipollente : Hujusmodi est propositio de extremo negato aut infinito v. g. *jus naturæ est id , quod non est mutabile , vel jus natu-*

§ (13) §

naturæ est non jus mutabile. Distingvo notanter inter propositionem de extremo negato & inter propositionem de extremo infinito; illa potest esse vera v. g. verum est: *Jus natura est id quod non est jus mutabile*; ut tamen hæc sit falsa, v. g. *Jus natura est non jus mutabile*, dupliciter falsa est: (1) quod jus naturæ sit *non jus* (2) quod sit *mutabile*.

§. XVI.

Quarto cognitio universalis propositionis potius dicenda est eruditio quam particularis: nam qui novit universalia, novit etiam virtute omnia particularia; sed non contra v. g. qui erudite cognoscit quod omne jus naturæ sit immutabile, is etiam cognoscit, quod hoc jus naturæ, v. g. adulterium prohibens, sit immutabile: & contra nosse quis potest, aliquod jus naturæ primæ tabulæ Decalogi esse immutabile, ut tamen nesciat omnia juris naturalis præcepta, in prima & secunda tabula Decalogi esse immutabilia. Porro sicut præstantior est demonstratio, quæ plurium cognitionem affert, quam quæ pauciorum; ita cognitio plurium præstantior est eruditio, quam pauciorum.

§. XVII.

Dum vero cognitionem propositionis universalis, præstantiorem cognitione particularis propositionis dicimus, sciendum, quod ad propositionem universalem, non sufficiat, si signum universale propositioni toti in casu recto præponatur ac distributive sumatur, nam hæc propositiones: *omnis pater revera differt à filio: omnis omnipotens est Deus: omnis homo absoluta necessitate est animal*, sunt veræ, sed non sunt universales, sed particu-

B 3 culares



culares quoad rem, licet signum universale in casu recto & distributive præponatur: nam signum universale non potest his propositionibus mediate præponi, mediantebus nimirum his voculis *quod est*: non enim vere dico: *omne quod est pater, revera differt à filio*; quia Deus est Pater, nec tamen differt à Filio: quod observandum contra Socinum. Sic non vere dico: *Omne quod est omnipotens, est Deus*: nam humana Christi natura est omnipotens, nec tamen est Deus: quod notandum contra Wendelinum. Nec tandem recte assero: *Omne quod est homo, absoluta necessitate est animal*: nam Deus est homo, nec tamen absoluta necessitate est animal: quod denuo observandum contra Socinum. Nonnemo nostratum putat, hoc requisitum propositionis universalis, qua voculas *quod est*, saltem necessarium esse in divinis; sed proferat exemplum in non divinis. v.g. *Nullus homo est species*, hæc propositio est vera, nam nec hic, nec ille, nec iste homo est species, sed individuum: non tamen hæc propositio est universalis, quia salva veritate dicere nequeo: *nullum quod est homo est species*, nam homo universaliter spectatus est homo, & tamen est species.

§. XVIII.

Quinto Eruditio totalis i. e. integræ disciplinæ respondens, potior est particulari i. e. ea, quæ partem aut particulam alicujus disciplinæ tantum caller; ibi enim habetur complementum, hic vero fragmentum cognitionis.

CS (15) CS
SECTIO II.

§. I.

Pures adhuc species eruditionis quoad gradus spectatæ recenseri possent, sed his contenti pergimus ad naturam *Eruditionis Academicæ*, quæ nunc apparet, quod sit rerum in Academiis tradi solitarum cognitio cum iudicio facta per orationem exponibilis, atque ad certam Facultatis certæ disciplinam ac methodum reducibilis.

§. II.

Judicium istud, cum quo cognitio rerum Academicarum fieri debet, est vel accuratum, seu vera ac certa rationis veræ ac firmæ cognitio; vel minus accuratum seu probabilis ac infirma rationis probabilis ac infirmæ cognitio. Illud petitur ex Analyticis, datque eruditionem solidam, quæ hinc dicitur Eruditio Analytica seu scientia: hoc petitur ex Dialecticis, datque eruditionem mediocrem, quæ hinc dicitur Dialectica seu opinio. Interim probe distingvendum inter eruditionem Dialecticam & Dialectices, it. inter eruditionem Analyticam & Analytices. Eruditio Dialectica cognoscit rem probabiliter, eruditio vero Dialectices, cognoscit modum perveniendi ad cognitionem probabilem: Porro eruditio Analytica cognoscit rem solide, eruditio vero Analytices cognoscit modum perveniendi ad cognitionem rei solidam.

§. III.

Eruditio Dialectica, cum maxime stipata fuerit erudi-

ruditione Dialectices, facit (1.) ad *γυμνασίαν* seu exercitationem, quæ fit vel adversus alios probabiliter disputando, vel in utramque partem aliquid discutiendo. (2.) ad *ἐντεύξεις* i. e. ad congressus seu colloquia cum vulgo, uti Alexander & Suidas hoc vocabulum explicant. Cum enim vulgus solidas & proprias rationes non penetret, proponendæ ipsi sunt communes ac opinioni hominum consentaneæ. (3.) ad scientiam seu eruditionem Analyticam præparat, dum prius quascunque rationes capessere jubet intellectum, ut dein eò facilius rationum solidiorum capax sit; per faciliora enim, à quibus auspicari jubentur Doctores, ad difficiliora præparamur. Dein ut bene monet Ammonius Comm. in lib. Categg. *dubitatio est principium accuratioris cognitionis & via ad disciplinam. Et Piccartus in Synopl. org. l. 1. Top. c. 2. Quemadmodum, inquit, trabs firmiter terra infixæ erui non potest, nisi in hanc vel illam partem moveatur: quemadmodum item ex attritu silicis ad chalybem ignis exultat: ita quod verum est elucere non potest, teste magno illo dicendi sentiendique Magistro, Cicerone, nisi ex utraque parte facta sit sententiarum causarumque contentio.*

§. IV.

Atque hæc Eruditio Dialectica nec spectat verum nec falsum, sed *probabile*: Differt probabile a vero & falso; nam probabile est quod videtur esse vel non esse, verum & falsum vero est, quod ita est vel non est, uti dicitur. *Probabile est vel theoreticum*, unde opinio *theoretica*, qua aliquid simpliciter videtur esse vel non esse; vel *practicum*, unde opinio practica seu prudentia opinativa,

62

nativa, qua aliquid videtur esse agendum, vel non agendum; dicitur alias conscientia probabilis, de qua Pufendorff. l. 1. de jure nat. & gent. c. 3. §. 5. *Conscientia hac persuasionem quidem suam pro vera ac certa habet, nec quare eam in dubium revocet, idoneas rationes videt, etsi eandem ad formam demonstrationis deducere non norit, sed topicis argumentis acquiescat.* Vel probabile est effectivum, unde opinio effectiva seu ars opinativa.

§. V.

Grassatur hæc eruditio per omnes omnium Facultatum disciplinas & maximam partem studiosorum occupat: nam, vel ob hebetudinem naturalem vel segnitiam, paucis contingit adire eruditionis Analyticæ Corinthum.

§. VI.

Eruditio Analytica, cum maxime eruditione Analyticae adjuncta fuerit, facit ad solide docendum ac verum à falso ac probabili discernendum. Hæc eruditio omnino spectat verum, quod est vel *theoreticum*, unde scientia theoretica, qua aliquid solide cognoscitur esse simpliciter vel non esse verum, sine respectu ad *πραξι* vel *ποιον*: vel *practicum*, unde scientia practica, qua aliquid agendum esse vel non esse solide cognoscitur. Huc pertinet conscientia recta de qua Pufendorff. l. c. *Datur conscientia, que liquido intelligit persuasionem, quam super agendis vel omitendis obtinet, certis ac indubii principis niti: illam vulgo solent vocare conscientiam rectam.* Pergit: *Conscientiam autem probabilem à recta differre arbitramur, non quoad ipsam persuasionis veritatem, sed quod eandem ad modum demonstrationis ad-*

C orna-

§ (18) §

ornatam ita artificiose deducere ignoret, adeoque rectitudinis sua ita evidentem & immotam non habeat cognitionem.

§. VII.

Finis cui eruditionis Dialecticæ est homo capax probabilium, queis imbui debet. Dicitur alias studiosus exotericus seu auditor Dialecticus, qui differt ab auditore Dialectices: ille enim res quasque probabiliter discit, hic vero res tantum Dialectices arripit. Finis cui eruditionis Analyticæ est homo, veritatis solidæ pernoſcendæ capax. Dicitur alias studiosus acroamaticus seu auditor Analyticus, qui differt ab auditore Analytices: ille enim quascunque res solide pernoſcit, hic vero tantum res Analytices haurit.

§. VIII.

Ut de auditore eruditionis Academicæ solidius conſtet, videndus ille (I) *Physognomice*, ubi (a) requiritur *ingenium* quod est ea naturalis bonitas, qua res propositæ facile percipiuntur, quæ dos si absit, frustraneus erit magistrorum labos, cum subjectum recipiat non per modum imprimantis sed recipientis. Ad auditorem Analyticum requiritur ejusmodi ingenium, quo rationes certas, necessarias, proprias ac domesticas, ex quibus solida eruditio nascitur, promte pervidere potest. Ad auditorem Dialecticum vero talis ingenii vis non requiritur, sed sufficit, si rationes probabiles penetrare valeat. Cæterum huc pertinet *acumen* seu facultas celeriter rem inveniendi & excogitandi: (b) *judicium* vel Dialecticum, vi cujus *εὐδοξία* ab *ἀδόξα*: vel Analyticum, vi cujus verum à falso & probabili discernere valet auditor. (c)

me-

memoria vi cuius imagines rerum & actionum servantur, ut ex iis secunda & tertia mentis operatio oriri queat. (d) *ardor erga studium veritatis* (qua auditorem Anal.) aut *verisimilitudinis* (qua auditorem Dial.) ut animus fiat patiens laborum: quamvis enim nihil fiat à tempore, omnia tamen fiunt in tempore; nec venit in buccas astra columba tuas. (e) *bona temperies* tum totius corporis, tum præcipue cordis ac capitis, quibus bene affectis ipsius quoque animi vires auferunt, ita ut ratio diverforum ingeniorum in hominibus ex diversa cordis ac cerebri dispositione proficiatur.

§. XI.

Si ingenium, memoria & iudicium in gradu excellentiori coincidunt, virum verè magnum promittunt. Ast si Medicos audiamus constitutio corporis fere prohibere videtur istam charismatum excellentiorem conspirationem. Combinentur, ajunt, valde calidum & siccum in biliosis (unde excellens ingenium & acumen) leviter calidum & siccum in melancholicis (unde excellens iudicium) & humidum aereum, unde excellens memoria. Hanc sane donorum animi societatem vix posse jungi putant & si vel maxime jungatur, mixturam tamen illam fore inexplicabilem.

§. X.

Si quis plus ingenio quam iudicio valet, nec in theoreticis, nec practicis progressus sperare potest feliciores; in theoreticis mirum contemplationum chaos conquirat, nec solidi quidquam habet, cui innitatur; sæpe errat propter multiplicem inventionem in qua se præbet facile mobilem; hodie hoc, cras aliud effingit,

¶

C 2

ipfa

ipsa quoque principia, quantum potest, labefactans: in practicis varia molitur, variis negotiis se miscet *πολο-
πράγμων*, consiliorum ferax, effectuum inops, cumulat eluctandi modos, coacervat vero insimul pericula &c. Plus igitur iudicium quam ingenium respiciendum est. Iudicium juxta Platonem anno demum ætatis 47. præsto est, cum animus efflorescit & corpus deficit.

§. XI.

Atque hæc vires explorentur ante, quam literarum studiis mancipentur nostri, unde Pythagoras examinabat ingenia auditorum per Arithmetica & silentium: Plato per cognitionem studiorum Mathematicorum: Socrates eos loquentes audiens, unde illud: *loquere ut te videam*. Communiter pueros delicatulos disciplinis ineptos judicabant. Hinc mos ille invaluit atque ad seculum quartum, à nato Christo, duravit, quo initiari gestientes sapientiæ studiis, post varia ludibria, quæstiones captiosas, aliasque exagitationes, tandem ad balneum cum ingentibus clamoribus deducebantur, ut apparet, num intrepidi satis & firmi, an vero molles ac inconstantes existerent; nec prius, quam loti, in Candidatorum numero habebantur, teste Gregorio Nazianzeno & Basilio Magno. Unde Penalissimus & Depositionum ritus.

§. XII.

Quale inspecie adsit ingenium, huic vel illi scientiæ accomodum, morzu einer aufgeleget/ judicant (I) ex cerebri qualitatibus. Vid. Huarti *Scrutinium ingeniorum*, qui ex siccitate intellectum acutum: ex humiditate memoriã: ex calore imaginationem colligit. His

687

§ (21) §

His animi donis certas ait respondere disciplinas : me-
 moria Grammaticam & notitiam Lingvarum , ite-
 Cosmographiam , Arithmeticam , Historiam &c. intel-
 lectui Philosophiam Scholasticam , Dialecticam , Moralem
 & Naturalem : imaginativæ disciplinas , quæ in figura ,
 harmonia ac proportione consistunt , ut sunt Poësis , Elo-
 quentia , Musica , Astrologia , aliæque Mathematicæ di-
 sciplinæ , ite. ars gubernandi Rempub. , ars pictoria ,
 sc: oria , ars conversandi animosque sibi conciliandi.
 (2) *ex puerili propensione.* Sic Origenes puer adhuc de
 occultis scripturæ sensibus Leonid. parentem fatiga-
 bat : Athanasius puer munia Episcopi baptizando per-
 lusum imitabatur: Andr. Vesal. insignis Anatom. vix evaserat
 ex infantia , cum mures dissecaret &c. (3) *ex Astris:* ubi
 Mercurium , in his vel illis signis Zodiaci constitutum ,
 primum ingenii boni vel mali significatorem credunt ,
 Lunam vero secundarium. Sed utut astra in inferiora
 hæc influxum præsentent , nihil tamen certi de care mor-
 talibus constare putamus.

§. XIII.

Quod si jam , viribus discens exploratis , defectus
 præcipue totales se exerant , consultius est arceri in-
 eptos , quam cum damno ad sacraria nostra admitti : de-
 ficientem enim naturam raro & non nisi cum labore ,
 improbo corrigi contingit. Nec facile obvia est fors
 Cleanthis , qui alter Hercules sapientiæ dictus est , quod ,
 renitente ingenio , Herculeo labore sapientiam occupa-
 verit : vel Demosthenis , qui pronuntiandi difficulta-
 tem & ingenii tarditatem , non nisi summa industria
 vicit : vel Baldi Jcti , cui jam seni ad Jurisprud. veni-

C 3

enti



(22) §
enti objiciebant : *sero ad hec venis, o Balde, quamobrem
causarum in altero seculo eris Patronus*: sed his nihil terri-
tus ille, tandem ad insignem nominis celebritatem evasit.

§. XIV.

Auditor E. A. spectatur (II) *propædæuticæ*. Huc
pertinent studia scholarum trivialium (de quibus supra
Sect. I. §. 2.) juxta cum virtute morali, quæ vim habet
animum perpurgandi maximam, ut Lysis Pythagoræus in
Ep. ad Hypparch. Plato l. 7. de Rep. ac Chalcidius in Tim.
Plat. alique ostendunt. Hæc propædia tum Analytico
tum Dialectico prodest.

§. XV.

(III) *Pædæuticæ*. Heic pædia præcipue ad audito-
rem Analyticum attinet, qui illius beneficio solerter
judicare potest, num magister recte an secus tractet cer-
tam quandam scientiam. Requiritur igitur h. l. ut au-
ditor teneat (1) *Analyticam*, quo sciat qualis sit ἀναλυτικὴ
disciplinæ, quam capesit i. e. quales occurrant demonstra-
tiones ac propositiones, & quomodo istæ confici debeant,
quæ rationes ac propositiones sint peregrinæ quæve pro-
priæ ac domesticæ: quodnam sit κεντρικόν, ex quo con-
stet, quid domesticum, quid peregrinum cense-
ri debeat: quæ in disciplina demonstrabilia sint, quæve mi-
nus: quo pacto indemonstrabilia licet non scientia,
intelligentia tamen progignatur: quænam sui causas,
quæ non admittant: quæ quidem causas, non tamen
omnes admittant: quid & quo pacto accurate definiri
aut describi debeat &c. (2) *Encyclopædiam*, i. e. notitiam
disciplinarum Academicarum in circulo, ita dictam,
propter integritatem & nexum. Nam ut in annulo,
catena

catena aut circulo una pars alteram semper excipit, copulat ac continet, quarum una sublata, non modo partes contiguae solvuntur, sed & integritas destruitur: sic datur orbis disciplinarum Academicarum, qui hinc *universitas* dicitur & aeternae ac temporalis, hujusque tum publicae tum privatae felicitatis mutuo respectu continetur: harum disciplinarum naturam & constitutionem cognosci oportet, quo constet, quanam partes ad constituendum hujus disciplinae objectum adaequatum concurrant: quomodo & quousque haec disciplina a reliquis differat, aut ad hujus illiusve fines concedat, ut ubi definit Physicus, ibi incipiat Medicus; ubi Politicus, ibi Jure Consultus; ubi Metaphysicus, ibi Theologus &c. It. quo ordine partes ejus sint disponendae &c. Cum igitur haec doctrina in peculiari collegio raro tradatur, ad suppleendum hunc defectum & auditorem *παραδουλεύου* tantisper reddendum, plerumque prolegomena de *natura* i. e. definitione & *constitutione* i. e. partibus constitutivis sua cuique disciplinae praemittuntur. (3) *Historiam* tum circa natales & progressum disciplinae, tum circa scriptores ejus probatissimos. Notentur hic verba Conring. in Praef. L. de prud. civ: *Omnibus constat praeterea, quoniam bona pars eruditionis a multis magistris est petenda, magni, ad parandam scientiam, esse commodi, novisse per quos proficere possis: nec cujusvis esse, facta, omnium rerum censuram, optimos eligere: quamvis autem haec opera non fuerit accensita praedictis functionibus, revera tamen isthuc potissimum facit: eoque hactenus, in docenda *παραδουλεύου* scientiae aut artis alicujus, semper eam adjungere sum solitus, idque frustrante nunquam expectati.*

*Etationem successu. Conf. Illustr. Bar. de Lynker Instructo-
rium.* Hac pædia instructus breviter plus consequitur
in disciplina, quam alius post longum demum tempo-
ris spacium, aut omnino nunquam.

§. XVI.

Lustrandus venit Noster (IV) Diæteticæ. Diætæ,
vel animum vel corpus respicit. Diætæ animi absolvi-
tur (1) *precando*

Define, cur videat nemo sine Numine Numen,

Mirari: Solem quis sine Sole videt?

(2) *discendo* i. e. audiendo, legendo, scribendo, repe-
tendo, interrogando, feligendo seu excerpendo. (3) *exercitando* i. e. proloquendo privatim aut publice,
audita, visa, lecta atque selecta, porro explorando, æ-
mulando, & animum honeste recreando. Diætæ cor-
poris jubet salubri aere frui, temperanter edere ac bi-
bere, legitime vigilare, dormire, moveri, quiesce-
re, excreta & retenta non negligere, affectus ani-
mi coërcere vel relegare &c. Sed hæc non tam
sunt Logicæ quam Physicæ considerationis. *Vid.*
Magnif. Wedel. Disp. de diætæ literatorum.

§. XVII.

Quæ de objecto & mediis E. A. dicenda restant,
sequenti Dissertationi servabimus.

SOLI DEO GLORIA.

FELICITER
felicissimis, ac auspiciatissimis
coeptis
Nobilisf. ac praeclare docti

DN. RESPONDENTIS

sub moderamine felici

PL Reverendi DN. Praesidis

acclamabat

IO. SCHLEMMIVS

Confil. Eccles. Sax. ac Superint. Dornb.
& Bürgel.

B *Accipitur toto cum pullis improbus orbe*
Mars, Eridosque jacet pomum furialis Enyo
Undique : sed Jani bifrontis limina semper
Dum sunt sub turma Musarum Praeside clausa,
Bella togata moves teneris pergrata Camænis :
Impediat laurus, precor, ut tua tempora docta!

Sic igitur solers *Academica docta* capes-
sis :

Tutaris docte : mox eadem doceas !

Ita

Clare docto, pio ac modesto

BRVNIO suo

Praeclari Parentis unica ac lectissima Spei,
applaud.

P R A E S E S,

X



Cum tua conspicio quæ tentat prælia
virtus,
Lator, & ex animo digna tropæa
precor.

*Honoris ac sincera gratulationis ergo
scrib.*

Joh. VVilhemus Dietmar. Dd9.

Hactenus exculti studiis vigilique la-
bore

Fructus, mi Fili, Jenæ de pectore manant.
Excole sic porro, facies pergrata Parenti:
Hæ nam primitiæ, quid oracula magna So-
phorum

Verfuisse manu profic, testantur abunde.

Apprecor, ut semper tua cœpta Jehova se-
cundet,

Et jubeat, capiant tua tempora præmia
palmæ!

*Ex animo paterno Filio suo perditæ lo-
bise cum voto felicissimorum successuum
gratulari voluit*

Johannes Sebast. Braun.

Hæred. in Zigenh. & Topfstr. ut & Pastor
Hendslebix & Vehra.

637

Sicut verè novo flores in gramine fragrant,
Qui nos afficiunt rursus odore suo;
Sicque novæ spargis famæ nunc germina A MICE,
Candida quæ studii sunt documenta TUL.

*Fauca hæc VIRO clarissimo, DN. Respondenti,
Amico suo æstimatissimo apponere voluit*

M. Joh. Henzold.

David, der in etwas † **Braun**/dennoch wohlgestaltet sahe/
Führte sich in seinen Wercken / jederzeit ganz klüglich auf:
Denn es war des Herren Hand seinem Thun und Lassen
nahe! *

Darum scheute Saul auch selbstn d. c. v. 15. seinen klugen d. c.
v. 13. Fürstenlauf.

Ebler **Braun** / die Salais zeugt von seinem Wohlverhalten/
Als worinnen Er dem David/einem **Braunen** Jüngling gleicht.
Denn/man sieht des Herrn Hand über seinen Wercken waltten/
Da Er denen Opponenten etwas Kluges überreicht.
Diese scheuen/als der Saul/seine klug-gesahnten Sätze/
Dannhero würckt sein Kämpfen Ihn viel Lobes-Früchte'aus.
Gott verleihe / daß man Ihn mehrers Lobes würdig schätze!
So nützt Er dem Vaterland/und bestrahlt sein werthes Hauß.
† I.Sam. XVI. v. 12. *I. Sam. XVIII. v. 14.

Seinem wohlmeinenden Glückes-Wunsch
zu wohl abgelegten Specimine
solte also ausdrücken

Christian Benjamin Hoffmann
Arnstadt, SS. Th. St.

Sic *Academia* si docte *docta* tueris,
Incl^{ta} doctrinæ præmia mox referes.

*Præ-Clarissimo DNO. RESPONDENTI, Fautori
& Amico suo Aestumatisimo gratulab.*

Joh. Valent. Lungershausen,
S.S. Th. Stud.

Cum Tu Mæonidum velox vexilla se-
quutus,
Illæ Te lustrant, ut potiora feras.
Pergito plus ultra Musarum scandere montes
Vertice supremo, sidera dum feries.

*Paucula hac Amicisimo nec non Doctisimo
DN. CANDIDATO m. m. g. pos.*

Joh. Adam Clemen. LL. St.



Jena, Diss., 1702


VD -18



f

sb.





18

5679
15

ERUD
ACAI

*in quantum
confa*

Disput

IN INCL

JOH. JAC. LU

P.

ET RE


MATTH.

Phil

pub

d.

7
Typis JOH. A



Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

B.I.G.

E

N



3

